



**Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. I. Præmittitur quod apud omnes est certum, & difficultas resolvitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

talis appetitus poterit hoc modo delinquere, utendo illâ suâ libertate, quantumcumque voluntas ei resistat, vel impedita sit; imò poterit homo simul mereri, per voluntatem resistendo sensualitati, & peccare per istius motum liberè tendentem ad objectum illicitum. Sequitur etiam quod si ad motum sensualitatis consensus voluntatis accedat, ibi sint duo peccata, unum in sensualitate, ex libertate sibi propria, & aliud in voluntate, propter ejus consensum, qui si sit plenus, & materia gravis, peccatum voluntatis erit mortale; peccatum autem sensualitatis, cuius libertas ad hoc non sufficit, remanebit duntaxat veniale: unde tunc homo committet duplex peccatum, unum mortale per voluntatem, & aliud veniale per appetitum sensitivum; imò & in ipso appetitu sensitivo tunc utrumque peccatum simul existet; veniale quidem ex libertate sibi propria, mortale verò ex influxu & motione voluntatis. Tandem si in appetitu sensitivo libertas intrinseca admittatur, nullus erit motus sensualitatis, quantumvis primò - primus, qui non sit peccatum veniale; quia in omnibus appetitus turetur illâ suâ libertate quam dicimus ad veniale sufficere; quod est contra communem Theologorum sententiam, ut articulo sequenti patebit.

41.

Huic argumento, quod est præcipuum aduersa sententia fundamentum, solutio patet eisdem: liquet enim ex principiis supra statutis hæc inconveniens non sequi ex nostra sententia, legitimè intellecta. Unde nego primam sequlam; contradicente enim voluntate, non est prædicta libertas in appetitu, quia ut supra dicum est, communicatur illi ex coniunctione & subordinatione ad voluntatem, iste autem influxus ex resistencia & actu contrario voluntatis impeditur: quare licet non requiratur actus voluntatis ad libertatem appetitus, requiritur tamen in ea non esse actum contrarium. Ex quo patet hominem non posse simul mereri resistendo per voluntatem sensualitatis, & peccare tendendo per appetitum ad objectum illius: sed enim voluntas motui inordinato appetitu positiva resistat, ille non erit liber, nec per consequens peccatum veniale, quia ex tali resistencia voluntatis impeditur effluxus libertatis à voluntate in appetitum sensitivum.

42.

Ad aliud inconveniens, negatur etiam sequela: quamvis enim in casu arguenti, utriusque potentie actus sit formaliter & intrinsecè peccaminosus, ac proinde metaphysicè loquendo sint ibi duæ malitia: morales, non tamen absolute sunt dicenda duo peccata, sed unum & idem, quod moraliter ex utraque illa malitia veluti ex partibus coalescit. Quemadmodum licet in voluntate possint simul esse plures actus peccamenti nostri, ut intentio, consensus, electio, &c. verantes circa eandem materiam, & in unoquoque ex ipsis sit sua intrinseca malitia, distincta realiter à malitia alterius, non ideo tamen sunt absolute plura peccata, sed ex omnibus unum integratur. Ex quo patet non sequi ex nostra sententia aliud inconveniens quod obicitur, nempe tunc duplex peccatum committing unum mortale, per voluntatem, & aliud veniale per appetitum; aut in appetitu sensitivo tunc duplex peccatum existere, veniale scilicet, ex libertate sibi propria, & mortale, ex influxu & motione voluntatis: cum enim ex atroque unum numero peccatum confurgat, una debet esse ejus gra-

A vita, aut moralis; aut venialis; & quamvis libertas sensualitatis, præcisè & solitariè sumpta, non sufficit ad mortale, secùs tamen quando per influxum & consensum voluntatis perficitur & complebitur, ut constat ex di. &is articulo præcedenti. Ad ultimum inconveniens solutio patebit ex dicendis articulo sc. quenti.

## ARTICULUS III.

*Vtrum omnes motus sensualitatis circa objectum illicitum, sint peccata mortalia, vel solum venialia?*

§. I.

Premittitur quod apud omnes est certum, & difficultas resoluta.

Pro resolutione hujus difficultatis sciendum est, inordinatus sensualitatis seu concupiscentia motus, triplicis esse generis; aliqui enim dicuntur primi - primi, qui scilicet omnem advertentiam rationis procedunt, & naturaliter in appetitu sensitivo excitantur. Alii appellantur secundi - primi, qui sunt cum aliquali & semiplena advertentia aut deliberatione, atque adeo sunt imperfectè liberi. Alii denique plenè liberati nuncupantur, quibus scilicet voluntas consentit, postea jam plena advertentia rationis. Hoc præmilo

Dico, motus tertii generis, quando sunt circa objectum illicitum & lege Dei prohibitum, esse peccata mortalia; secundi vero generis, peccata venialia; primi autem, nec mortalia, nec venialia esse.

Hæc conclusio quantum ad primam & secundam partem est evidens: nam motus tertii generis sunt perfectè voluntarii, & pleni liberi, secundi vero sunt solum liberi imperfectè, cum plenam rationis advertentiam non supponant. Ergo si circa objectum illicitum & lege Dei prohibitum versentur, illi erunt peccata mortalia; isti vero tantum venialia, defecti plenè & perfectè advertentia & deliberationis.

Tertia vero pars, qua negatur ab hereticis nostri temporis, assentientibus concupiscentiam, qua in nobis est, & omnes ejus motus circa illicita, quantumvis necessario insurgere, esse peccata mortalia, & nos reos aeterna damnationis constitutere, siadetur primò ex sacra litteris: dicitur enim Eccles. 18. post concupiscentias tuas non eas; ubi cum pra cipiatur nobis, non quidem nullos habere concupiscentias moros, sed duntaxat non sequi eos, illis consentiendo, aptere insinuare & supponere; posse tales motus absque ulla culpa in nobis iniungere: si enim ubi primò insurgunt habent entrationem peccati, potius præcipere non habere illos, quam eos non sequi. Quod animadvertis D. Augustinus ib. 5. contra Julian. cap. 3. sic ait: *Frigida dictum est, post concupiscentias tuas ne eas, si jam quae reus es, quia tumultantes & ad mala trahentes, sentit eas.* Dantur ergo in homine aliqui concupiscentia motus, illi scilicet qui à Theologis primò - primi appellantur, quos homo sentiat, priusquam alicujus culpe reus exigit. Unde

## DE SUBJECTO PECCATORVM.

411

Unde Apostolus ad Rom. 6. Non regnet peccatum immortaliter corpore vestro, ut obediatis eis concupiscentiis. Ubi notat Augustinus cap. 1. lib. de Nuptiis & Concupiscentia, non dixit Apostolus, non sit peccatum, sed ne regnet peccatum per approbatonem & consensum voluntatis, & expresse addidisse, ut obediatis eis concupiscentiis, quia obediencia per voluntatem praestatur.

46. Confirmatur ex illo Iacob. 1. Vnusquisque tentatur, à concupiscentia dilectus & abstractus: deinde concupiscentia cum conceperit, patit peccatum. Ubi Augustinus: Profecto in his verbis partus à pariente discernitur, pars enim est concupiscentia, partus peccatum, sed concupiscentia non pars, nisi conceperit; non concipit, nisi illexerit, id est ad malam perpetrandam obtinuerit voluntatis sensum. Noli ergo (addit idem S. Doctor) consentire concupiscentiae tuae: non est unde concipiat de te, noli dare consensionis amplexum, ne plangas partum, quia si consenseris, si amplexatus fueris, concipis; deinde paris, & in partu gravissimi dolores.

47. Id etiam explicat lib. 2. in Genes. contra Machich, lepidissimo tentationis Eva & Adami exemplo: concupiscentia enim est veluti Eva, cui a serpente seu diabolo aliquid objicitur tanquam bonum, & per illud ad peccandum allicitur; sed quia nihil potest sola, nisi superior pars, quia est veluti Adam, accedit, id est nisi ratio consentium praestet, per hujusmodi consensem consummatur peccatum.

48. Secundò probatur eadem pars ratione: Lex Dei non obligat ad impossibilia; hoc enim in Deo legislatore apertam tyrannidem argueret, non minus quam in Dracone legatore, cuius propterea leges dicebantur esse lenguine scriptae. Sed iuxta legem ordinariam hominibus est impossibile motus primi primos concupiscentias aliquando non experiri: cum nobis non cogitantibus, immo dormientibus, frequenter obrepant: Ergo nulla est lex quæ tales motus habere aut experiri prohibeat; proindeque ipsi non erunt peccata, cum peccatum sit id quod contra legem Dei pugnat.

49. Tertio probatur eadem pars: De ratione peccati est quod sit voluntarium, seu liberum, ut sepe docet Augustinus: Sed metus primi primi concupiscentiae non sunt voluntarii seu liberi, cum omnem advertentiam rationis præcedant, & naturaliter in appetitu sensitivo excitentur: Ergo non sunt peccata, Unde Augustinus 1. de Civit. cap. 25. illa concupiscentia inobedientia, quando magis absque culpa est in corpore non consentientia, si absque culpa est in corpore dormientia.

50. Respondent Heretici, quod esti motus illi concupiscentiae non sunt voluntarii in scilicet in Adamo, quia sunt effectus & penæ culpa originalis, quæ nobis in capite voluntaria est.

Sed contra: Licet ad peccatum originale sive faciat quod sit voluntarium in capite, tamen ad peccatum personale requiriatur quod sit voluntarium voluntate personæ, ut docet D. Thomas in 2. dist. 10. qu. 1. art. 2. in corp. his verbis: Opponit quod secundum hoc quod antiqui rationem culpa habet, secundum hoc ratio voluntarii in ipso seperiatur. Sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam, ita etiam est quoddam culpa naturæ, & quoddam personæ inde ad culpam personalem requiriatur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali, que per actum personæ.

Tom. III.

A commititur; ad culpam verò nature (id est originale peccatum) non requiritur nisi voluntas in natura illa. Cùm ergo motus primi primi, ex rebellioni concupiscentiae procedentes, non sint voluntarii voluntate personæ (etiam sint voluntarii voluntate nature, seu in persona Adami, & effectus peccati originalis) non erunt peccata actualia, quæ nos reos a terrena damnationis constituant, ut docent heretici.

51. Confirmatur: nam etiam phrenesis, insania, & cæcitas corporalis, aliaque generis humani miseria, sunt effectus & penæ originalis peccati, & ab eo ut rivi à fonte promanaunt; cum in felicissimo innocentia statu homines non fuisse miseria illis obnoxii; & tamen nemo dicer, quidquid male faciunt insani & phrenetici, esse peccatum, & culpabiliter agere cœcum à nativitate, qui volens canem abigere, hominem percudit, ignorans invincibiliter eum adesse: Ergo similiter licet rebellioni concupiscentiae sit effectus & pena peccati originalis, subindeque nobis voluntaria in capite non sequitur omnes ejus motus, eos præcipue qui naturaliter in nobis configunt, omnemque advertentiam & deliberationem rationis præveniunt, esse peccata mortalia, & homines atque damnationis reos efficere.

Quod verò non sint peccata venialia, ut quidam Theologus assertunt, iisdem authoritatibus & rationibus convincit: Nam de ratione cuiuscumque peccati actualis seu personalis est quod sit liberum & voluntarium, saltē imperfekte: Sed motus primi primi concupiscentiae, nullo modo sunt voluntarii seu liberi, cuicunque naturaliter in nobis excitentur, & omnem rationis advertentiam ac voluntatis consensem præveniant: Ergo non sunt peccata etiam venialia.

52. Addo quod Tridentinum fest. 5. decreto de peccato originali ait, concupiscentiam non nocere non consentientibus, & non esse verè & propriè peccatum: Sed si motus primi primi concupiscentiae essent peccata venialia, non consentientibus noceret concupiscentia, & verè ac propriè peccatum esset; sicut tale est mendacium, quanvis solum sit peccatum veniale: Ergo illi motus non sunt peccata venialia. Unde Augustinus lib. de Perfectione iustitiae versus finem, negat pro remissione horum mortuum recitandam esse orationem dominicam, aut dicendum, dimittit nobis debita nostra, sed pro aliis motibus & peccatis quibus assentimur, vel quos impedit postflumus. Idem docet epist. 200. ad Asculicum, his verbis: Quanvis infit, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus assentum, non esset unde dereremus Patri nostro qui est in caelis, dimittit nobis debita nostra.

### §. II.

#### Solvuntur Objectiones.

Obijcunt primi: D. Thomas hic art. 3. ad 5. ait quod motus sensualitatem proveniens, est peccatum veniale. Sed motus qui rationem præveniunt primi primi appellantur ut supra ostensum est: Ergo ex D. Thoma motus primi primi concupiscentiae sunt peccata, saltē venialia.

Respondeo D. Thomam non loqui de moti-

FFF. 2. bus